





1793.

1662. 26 37  
42  
9

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**SPONSALIBUS,**

*Quam*  
**JEHOVA**

Triuno clementer annuente  
Jctorum

*Ampliss. Facultate adsentiente in Illustri Wittenbergâ*  
**PRÆSIDE**

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo  
atq; Excellentissimo*

**DN. CHRISTIANO KLENGELIO**

J. U. D. ac Professore Publ. Celeberrimo,  
Curia Electoralis Consistorii Ecclesiastici Scabinatus,  
ut & Facultatis Juridicæ Assessore  
Gravissimo

*Dn. Patrono, ac Promotore suo omni ob-*  
*servantia cultu prosequendo*

Publicæ Eruditorum ventilationi  
officiosè submitte

**AUTOR**

**JOHANN-FRIDERICUS Zugmann**

Belzigensis Saxo.

*Ad diem 3. Mensis Maji.*

Anno clæ Ioc LXII.

---

WITTEBERGÆ,

*Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.*



DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
SOCIETATIBUS

IN  
RE  
SOCIETATUM  
AUCTOR  
CHRISTIANO KLEINCHLO

IN  
RE  
SOCIETATUM  
AUCTOR  
CHRISTIANO KLEINCHLO

IN  
RE  
SOCIETATUM  
AUCTOR  
CHRISTIANO KLEINCHLO

IN  
RE  
SOCIETATUM  
AUCTOR  
CHRISTIANO KLEINCHLO





Σὺν ἑσῶ τεσσάρων

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
SPONSALIBUS.

THESIS I.



Ulpian. in l. i. ff. de Just. & Jur. optimè monet; Juri operam daturum, nosse primùm oportebit, unde juris nomen descendat. Estque solenne illud & familiare Jctis, quorum actio institutio esse debet nostra, notitiæ rei præmittere principia nominis, & à notatione vel allusione ordiri l. i. ff. de reb. cred. l. i. ff. de acq. poss. Hinc nosmet rectè facturos puto; si juxta Ulpian. nomen sponsaliorum, unde originem trahat, declaremus.

II.

Sponsalia aliis à sponte, eò quod debebant esse spontanea, aliis inde, quod sponsus & sponsa, olim σπρονδας, interpositis rebus sacris facerent: Nobis verò à spondendo dicta sunt. Veteres enim stipulabantur & spondebant sibi futuras uxores l. 2. ff. de sponsal. Unde & sponsi, tanquam promissi, sponsæque tanquam promissæ, appellatio nata est l. 3. ff. eod. Joh. Sichard. Comm. in Cod. d. sponsal. p. m. 521.

III.

Spondeo autem à sponte venit, ut spondeo idem sit, quasi spontè do vel promitto. Unde qui puellam spondet, sponsor appellatur: quæ spondetur, sponsa: cui spondetur, sponsus: stipulatio dotis, sponsio: dies hujus actus, sponsalis: actus ipse, sponsalia l. 3. ff. d. Rit. Nupt. v. Oldendorp. action. forens. progyrn. de spons. p. m. 1212. Welenb. in π. ff. de sponsal. n. 2.



## IV.

Accipiuntur autem sponsalia variè. Alio enim sensu significant munera à sponso data sponsæ *l. i. in fin. C. si nupt. ex re-script. petant.* nonnunquam donationem propter nuptias *l. 2. C. de secund. nupt. ibiq;* Gothofred. *lit. b. ite convivias,* quæ sponsalibus adhibebantur, Græcis *ἑγγύμεια* dicta. Paul. Cypr. *de Connub. jur. c. 2. §. 1. n. 16.* Treutl. *vol. 2. Disp. 6. th. 1. l. 4.* Hic autem sponsaliorum nomine consensum sponsalitium, qualis inter desponsatas personas requiritur, intelligimus.

## V.

Definitionem rei quod attinet, sponsalia à Florentino ita describuntur, quod sint mentio & repromissio nuptiarum futurarum. *l. 1. ff. de sponsal. c. nostrates 3. causa 30. qu. 5.*

## VI.

Hæc descriptio variè à variis oppugnatur. Inter quos locum obtinet primum Hotoman. *in Comm. Jur. Wesenb. in π. ad b. t. n. 2. in fin.* Paul. Cypr. *dict. tract. de Conn. jur. c. 2. §. 2. n. 3. &* alii, quibus animus fuit, commentarios super hanc materiã conscribere. Verùm, à Celeberrimo Dn. Ludw. Patrono atque Præceptore meo sanctè semper devenerando, edoctus, quod ab ejusmodi correctionibus abstinendum sit; hinc adduci nequeo, ut illorum sententiis adstipuler.

## VII.

Quin potius, firmo consistere talo Florentini descriptionem, affirmo: præsertim si ad veterum morem respicias, qui stipulationibus interpositis, sponsalia contrahebant, cujus duæ erant partes, Mentio, i. e. interrogatio, veluti: vis me habere, & Repromissio, i. e. responsio, cum vir promitteret, se habiturum. Excell. Hahn. *observ. ad ff. de spons. n. 2. S. Richard. in C. b. tit.*

## VIII.

Sed hæc de definitione sufficient, jam quæ causa efficiens sponsaliorum sit, videamus.

## IX.

Causam Efficientem De. vulgò constituunt duplicem, & remo-

remotam & proximam. Remota est I. Deus, quoad institu-  
tionem *Gen. 2. v. 27.* Hic enim legibus hanc societatem muni-  
vit, & univit: hic est, qui stimulos homini ad appetendam  
hanc conjunctionem in primæva creatione addidit, inquit  
Christ. Matth. *in syst. polit. lib. 1. Exerc. 1. sect. 3.* Et cui ignotum  
est commune veriverbium: Conjugia sunt fatalia, non for-  
tuita. Nos Germani dicimus. *die Freyen werden im Himmel  
gemacht.* II. Natura, quoad conjunctionem & affectio-  
nem. *pr. Inst. d. 7. N. G. & C.* Proxima est consensus persona-  
rum contrahentiū de futurâ conjugali societate. *l. 4. ff. de spon-  
sal. l. 11. ff. eod. l. 30. ff. de R. J. l. 2. l. 16. S. ult. l. 21. ff. d. Rit. Nupt.* Haud  
enim contrahi possunt sponsalia insciis & non consentientib9  
iis, quorum maximè res agitur; sed spectanda voluntas, de  
eujus conjunctione tractatur *l. in copulandis 8. C. de Nupt.* Estque  
hâc de re textus expressus in *caus. ubi non est 30. qv. 2. ibi:* ubi  
non est consensus utriusque, non est conjugium. Bachov.  
*in Tr. Vol. 2. Disp. 6. th. 5. l. a. in fin.* Wesenb. *in w. ff. de sponsal. n. 4.*  
Suth. *Dissert. 2. aph. 12.* Unde Terent. *in And. act. 1. sc. 5.* Non-  
nè oportuit præscisse me? nonnè prius communicatum oportuit?  
Ideoque licet parentes juraverint de his illisve nuptiis,  
juramentum tamen illud liberis non præjudicat, eosque obli-  
gat. *c. si verum. 31. q. 2. arg. l. 5. C. d. LL.*

X.

Cum autem consensus in contrahendis sponsalibus sit  
basis, fundamentum, & illud ipsum, quod facit, ut sponsalia  
rata atque firma sint; ideò non tantùm eorum requirimus cõ-  
sensum, de quorum conjunctione quæritur; sed & eorum,  
quorum in potestate sunt, i. e. Patris & Avi paterni *l. 2. & l. 35.  
ff. de R. N. l. 12. & l. 20. C. de Nupt.* tum ob vinculum patriæ pote-  
statis; tum ne invito suus agnascatur heres *arg. S. sed si quis 7.  
Inst. de adopt.*

XI.

Nec refert, tacitè ne iidem, an expressè consentiant.

A 3

nam

nam & qui sciens non contradicit, l. si ut proponis §. C. d. X. Nupt.  
aut non evidenter dissentit l. 7. §. 1. ff. d. spons. c. nostrates 3. caus. 30.  
q. 5. ob favorem matrimonii consentire intelligitur. We-  
senb. in π. ff. h. t. n. 4.

XII.

Si enim absque consensu legitimum conjugium esse non  
potest, certè consensus contrahentium maximè erit necessari-  
us. Si hoc, utique concludimus inde quoque ad parentum  
consensum; cum ille tantà affinitate, tamque arcto nodo co-  
hæreat, ut excludi non debeat, imò nec possit. §. 3. Inst. de  
patr. pot. pr. Inst. de Nupt. Non igitur facere possumus cum il-  
lis, qui non tam de necessitate, quam honestate consensum  
parentum requiri asserunt. Harpr. ad pr. Inst. d. Nupt. n. 53.

XIII.

Exempla, quæ nobis hâc in parte contraria objiciuntur,  
nil minus probant, quam quod probare debent. Nihil e-  
nim præjudicare possunt veritati in scripturis propositæ, hinc  
eadem facilitate, quâ adducuntur, à nobis rejiciuntur. Et ut  
taceamus hoc in loco rationes ponderosissimas alias ex sacra-  
scripturâ petitas, unicum adducemus, ex quo plus quam ma-  
nifestè apparebit, quod tam ex jure divino, quam jure naturæ  
consensus sit necessarius.

XIV.

Siquidem naturale principium est, dulcissimos parentes  
nostros esse honorandos; unde ita concludere licet. Si honor  
debitus, in omnibus scilicet, à liberis Parentibus est præstan-  
dus, sequitur etiam, in conjugio illum præstandum esse. Sed  
nemo est, qui negat prius. Vox enim Dei in quarto præcepto  
hoc exigit. Exemplo etiam nobis est Tob. c. 6. v. 14. & c. 7. v. 10.  
1. Corinth. 7. v. 37. Posterius E. à veritate non alienum erit. Bronch.  
Evangelio cent. 3. assert. 1.

XV. Cum



XV.

Cum itaque filii inficiis parentibus matrimonium contrahunt, quid aliud est, quam esse ingratos, & parentibus suis immorigeros? subducentes se eorum potestati, quos Deus & natura eis præfecit. *arg. i. veluti 2. ff. d. f. & f. Christ. Matth. lib. 1. Syst. pol. s. 3. qv. 4.*

XVI.

Si jus Civile spectamus, quem porro latet, liberos non esse suos, sed parentum potestati adstrictos §. 2. *Inst. de patr. pot. & d. pr. Inst. d. Nupt.* Quod potestatis dominium cum agnoscant, maximè debitus parentum honor perpetuò observandus, ob id voluntas & consensus eorum debità cum reverentiâ & filiali affectu est expectendus. *l. 1. ff. de obsequio parent. & patr. prest. l. in conjunctione 20. C. de Nupt. Nov. 22. c. 19. Harpr. ad pr. Inst. d. nupt. n. 29. Frantzk. Exerc. 2. qv. 4.*

XVII.

De jure Canonico, an Parentum desideretur consensus, expeditum non est: Canonistis & Pontificiis magis sententia arripit negativa; statuentibus, jure Canonico ad conjugia liberorum non requiri parentum consensum de necessitate, sed de honestate solum, quibus adstipulatur Harpr. *in Comm. ad pr. Inst. de Nupt.* Ego tamen existimo, jus Canon. cum jure Civili convenire, ut scilicet sint injustæ nuptiæ, quæcunque contrahuntur absque parentum consensu, qui contraheutes in potestate habent, per textus expressos *c. 1. caus. 30. qv. 5. c. 3. ead. qv. 5. Arum. Exerc. 2. th. 9. Dn. Ludw. Exerc. Inst. Disp. 5. lit. d.*

XVIII.

Idem obtinet de jure Saxonico, quod in sponsalibus liberorum, tam filiorum, quam filiarum, consensum utriusque parentis, & patris sc. & matris, iisque non extantibus, avi & avia (sub pœna exheredationis vel usque ad dimidium legitimæ, vel pro qualitate causæ in totum, aut etiam aliâ pœnâ arbitraria) requirit. *Georg. Schulz. Synops. Inst. de Nupt.*

XIX.

Non incommodè hic quærent Dd. An ob causam non requisiti parentum consensus filius, de jure Civili, exheredari possit

pos

possit? Negativa verior probatur. (1) Quia Imperator Justinianus in *Nov. 115. c. 3.* certas causas, puta 14. constituit, & ut nullæ aliæ sive sint similes, sive, uti putamus, etiam majores adducerentur, nominatim sancivit. Inter istas autem hæc causa expressa non reperitur. E. à nobis quoque addi non debet, cum odia sint restringenda, favores verò ampliandi *e. odia, de R. J. in 6. l. cum quidam 19. ff. de lib. & posth. Fachin. lib. 3. Controv. c. 44. Harpr. ad pr. tit. Inst. de Nupt. n. 147. Dissentit. Bachov. vol. 1. ad Tr. Disp. 13. tb. 8. l. c. Arum. Disp. Inst. 2. tb. 11. Hahn. ad ff. de liber. & posth. hered. Inst. n. 5. Herm. Goehaus. peric. 5. qv. Academ. 31.* (2) Quia nemo ob idem crimen pluribus legibus reus fieri debet. *l. senatus 14. ff. de accus. & inscript. l. sanctio 41. in f. ff. de pen.* Hæc autem in quæstione nostrâ filiifam. ipsa lege puniuntur, dum nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur *l. Paulus 11. ff. de stat. homin. pr. & §. si adversus 12. Inst. de Nupt.* (3) Quia in *d. Nov. 115. c. 3. §. si alicui 11.* conceptus est totus de filia tantum. Feminino autem sermone sexum masculinum contineri, exemplo pessimum est. *l. si ita scriptum. 45. in pr. Dig. de Leg. 2. l. servis 81. ff. de leg. 3. præsertim, quia quod filia exheredari possit, saltem ibi sub conditione affirmatur. E. secus erit in filio. Unius enim inclusio, est alterius exclusio.*

XX.

An autem ratihabitio sufficiat, magnæ & arduæ quæstionis est. Et quod non sufficiat, videtur esse verior sententia per *l. Paulus 11. ff. de stat. hom. l. 66. ff. d. R. N. l. 13. §. si quis 6. ff. ad L. Jul. de adult. pr. Inst. de Nupt. Arum. Exerc. 2. tb. 10. Suth. Dissert. 2. aph. 59.* Licet enim ratihabitio mandato æquiparetur *l. fin. C. ad SCtum Macedon. c. ratihabitio 10. de R. J. in 6. l. 60. ff. d. R. J.* Hoc tamen non procedit in iis actibus, in quibus lex pro formâ mandatum seu jussum certo tempore requirit *arg. §. tutor. 2. Inst. de aut. tutor. Arum. d. loc. Carpz. lib. 2. Jurispr. Constit. 3. defm. 41.* Sed in illis duntaxat valet contractibus, qui possunt aliquo modo interim in suspenso esse. Deinde cum ratihabitio id solum operetur, ut consensus non antecessisse negotiū, sed in negotio intervenisse videatur; idcirco ratihabitio non efficiet, quo ab initio

nitio statim conjugium liberorum censeatur fuisse legitimum. Hunn. Res. Jur. Civ. lib. 1. tit. 3. q. 19.

XXI.

Minus movet *l. 5. C. de Nupt.* Utpote quæ non de rati habitatione, sed tacito consensu loquitur, quem ad nuptias liberorum sufficere patet ex *l. 7. pr. ff. de spons.* Denique non adversatur, quod hoc in favorem parentis introductum sit, ideoque is favori renunciare possit. *arg. l. pen. C. de Pact.* Resp. enim, nec hanc regulam procedere in iis, quæ pro formâ alicujus negotii à jure requiruntur. *arg. l. 27. ff. d. R. J. Harpr. pr. Inst. de Nupt. n. 112. Dn. Ludw. Comm. Inst. de Nupt. pr.*

XXII.

Dispar est ratio Tutorum. Eorum enim consensum ad sponsalia impuberum necessarium esse, adduci non possum, ut credam cum *Wesenb. in paratitl. ff. de R. N. n. 8.* Etenim nullus heres Tutori agnoscitur, nec tutor in tali impuberes habet potestate, qualis est patria: cur ergò non diversum jus esset, ubi diversa ratio. *l. 32. pr. ad L. Aquil. l. 6. ff. de sponsal.* In aliis quidem contractibus pupillus & minor sine autoritate tutorum regulariter non obligantur. *Dn. Carpz. lib. 2. Jurispr. Consist. tit. 3. defn. 46. Schneidw. part. 2. de lic. nupt. n. 40.*

XXIII.

Quid ergò si alter eorum furiat: Estne furor sponsalibus impedimento? Maximè propter *l. 8. ff. de sponsal. c. ubi non est 2. X. de desponsat. impub.* quia nulla ejus voluntas est *l. 40. d. R. J.* neque consensus *l. 2. C. de contrab. empt.* quem tamen nuptias facere scimus *l. 30. ff. de R. J.* nec intelligit, quod agit. *§ 8. Inst. de inutilib. stipul.* Ideo per omnia & in omnibus, absentis, quiescentis, dormientis, & ignorantis loco habetur *l. 124. in fin. ff. de R. J. l. 1. §. furiosus 3. ff. de acquir. possess. l. 4. ff. de divort. & repud. l. 2. §. furiosi 3. ff. de jur. Codicill.* Proinde ad omne negotium contrahendum ineptus *l. 5. ff. d. R. J.* Quique mentis ad omnia exæcitare laborat. *Cicer. 3. 99. Tuscul.*

B

XXIV. Sed

## XXIV.

Sed difficultati huic melius occurrendo, inter furorem distingvere necessum erit. Sicut enim furor duplex, continuus & periodicus: ita & in jure nostro duo furiosorum genera reperiuntur. Quidam enim laborant furore continuo h. e. perpetuò & indefinenter furore agitantur. Quidam verò per liquida intervalla furore infestantur. Illi quod ad omne contrahendum negotium inepti sint, matrimonium contrahere nequeunt *d. l. 8. ff. de spons. l. oratione 16. in fin. ff. d. R. N.* Etenim negatâ causâ efficiente, negatur ipse effectus. Unde si tales homines tempore furoris contrahere velint sponsalia, ratificari nullâ ratione debent. Hi verò, qui per intervalla dilucida furore aguntur, interdum verò mente sanâ fruuntur, illi rectè matrimonium inire possunt. *Wesenb. in w. ff. d. R. N. n. 8. Treutl. vol. 2. disp. 4. l. 6.*

## XXV.

De ebrio, qui furioso æquiparari solet, an & hic sponsalia rectè contrahere possit, dispiciendum quoque est? Et quidem ebrii, cum, quid faciunt, nesciant. *Treutl. vol. 2. Disp. 6. lit. e.* quin & ipsos postea factorum & promissorum poeniteat, ex deliberatâ ratione consentire non creduntur; & sic nullum dubium, quin eorum consensus, si fortè datus fuerit, nullus sit. Intellige tamen non levem ebrietatem, sed magnam, & quæ rationis usum totamque mentis rationem & judicandi facultatem omnem sepelit atque adimit. *Dn. Carpz. lib. 2. Jurispr. Consist. tit. 3. def. 31. Suth. dissert. 2. aph. 24.*

## XXVI.

Prodigum autem conventionem sponsaliorum non excludo *l. 1. pr. ff. de curat. furios. & aliis.* Comparatio enim prodigi ad furiosum in rerum administratione, quarum furiosum facit exitum, non in sponsalibus locum invenit *l. 12. §. 2. in fin. ff. de tutor. & curat. dat. ab his.*

XXVII. Ju-

## XXVII.

Iustus quoque metus & violenta coactio consensui repugnans. *l. 116. in pr. ff. de R. J. l. 1. Et tot. tit. ff. quod met. caus. & sponsalia ipso jure irrita reddit c. 14. extr. de sponsal.* Requiritur enim, ut consensus sit liber, & omnis coactionis expertus. *l. 134. ff. de V. O. l. 14. C. de Nupt. c. 15. 17. & 29. de sponsal.* Quod probè est observandum. Unde Petrus Molinaeus *Ethic. lib. 2. c. 11.* benè dicit. Potest quidem actio externa esse coacta, at internus animi motus cogi non potest. Ut autem huic quæstioni nostræ satisfaciamus. Disting. inter metum compulsivum, ad quem refertur metus mortis, aut cujuscunque periculi, & impulsivum, qui dicitur etiam reverentialis, ob patris reverentiam, ne ejus indignationem incurrat, veluti: si filius contraxit sponsalia cum virgine, quam alioqui non erat ducturus. Et illum solum intelligi, liberoque consensui obstare. Hunc verò matrimonium minimè impedire, existimandum est. *arg. l. 3. ff. quod met. caus.* si enim intervenerit metus facti, ut quia pater verberibus coegit filiū: tunc non valent hujusmodi sponsalia. *text. est in l. si patre cogente 22. ff. de R. N.* Nec est, quod existimes, matrimonia debere esse libera, nec ullâ ex parte coacta. *l. 4. C. de Nupt.* Metus enim reverentialis consensus libertatem minimè impedit, nec facit, quo minus liberè consensisse videatur in matrimonium, qui patris personam reveritus, matrimonium contraxit. *arg. d. l. 22. de rit. nupt. Hunn. var. resol. Jur. Civ. lib. 1. tr. 3. qv. 10. Schneidew. part. 2. de nupt. lic. n. 28.*

## XXVIII.

Ulterius investigatu necessaria est & hæc quæstio. An etiam error impediatur, quo minus sponsalia contrahantur? Et cum errantis nulla sit voluntas, nullus consensus, uti patet ex *l. 116. §. fin. ff. de R. J.* Quid enim tam consensui contrarium est, quàm error. *l. 9. C. de jur. & fact. ignorant.* Hinc promptum est conjicere, quod error omninò impedimento sit sponsalibus. Inde tamen non statim concludere debemus, errorem de sui naturâ habere, quo matrimonium impediatur, sicque omnem, qui-

quicumq; fuerit, sive circa personas, sive circa earum nomi-  
na, qualitates vel conditiones, esse subintelligendum. neu-  
tquam verò; sed qui est de matrimonii essentiâ, de tali errore  
nobis hîc sermo est. Nec dubium proinde, quin Jacobus cui  
pro Rachele deformiorem Leam substitutam & adductam esse  
*Gen. 29. v. 23. & seq.* legimus, si suo jure uti voluisset, potuisset  
Leam rejicere, ac suam Rachelem poscere. Minus movet  
Isaaci benedictionem valuisse, etiamsi in personâ erraverit.  
Nam quod benedictio isthâc mysterium aliquod in se habue-  
rit, censetur hoc ipso, quod benedictionem Isaac suam non  
retractavit, sed ratam, firmamque habuit. *Hunn. Resol. jur.  
Civ. lib. 1. tr. 3. qu. 12.*

XXIX.

Practicabilis ac vario & ancipiti Marte ventilata hic ori-  
tur quaestio. An qui cum corruptâ ignorans sponsalia contra-  
xerit, postmodum re compertâ, stare promissis cogatur, & ad  
consummandû matrimonium deinceps urgeri invitus possit?  
Quidam ejus sunt opinionis & sententiæ, talem vitiatam reti-  
neri debere, quod tamen non puto concedendum esse. Quid  
enim durius, quid iniquius, quid intolerabilius, quàm alie-  
ni delicti alium eundemque gravissimè insuper læsum, pœnas  
luere, odioque fontis innocentem prægravari? Rectior &  
longè justior est Imperatoris Leonis sententia, quæ habetur  
*Nov. 93.* ubi in hæc verba rescribit. Quomodo vera spon-  
salia sunt, in quibus nihil verum, neque genuinum conspici-  
tur? ubi meretricium se offert scelus, ubi causæ sunt disidio-  
rum & odii, ubi animorum alienatio (quæ mala acervatim o-  
mnia pariter cum peregrino alienoque semine suscipiuntur)  
quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus,  
sponsalisque est amor? Quin ut quispiam alterius fœtum  
sibi subjiciat, id verò ratio non patitur. Neque item justum  
est, ut qui spe honestæ casti matrimonii oblectationis sponsam  
in domicilium suum recipere constituerit, si illa matrimonii  
legibus insultet, & cum aliis lasciviendo, oblectationis spem  
evanidam ipsi reddat, in meretricia illa facilitate ipsam uxo-  
rem agnoscere debeat.

XXX. Hinc

## XXX.

Hinc B. Luther. inquit: Wenn einer seine ihm öffentlich vertraute / nicht rein findet / sondern zuvor von einem andern beschlafen / und solches vor der Hochzeit oder hernach / ob Er möge dieselbe verlassen / und eine andere annehmen? Hier geben den rath / weil das scheiden von Bette und Tisch ein recht Ehescheiden ist / daß kein Stücklein der Ehe da bleibet / denn was ist vor eine Ehe von Tisch und Bett geschieden sein / denn eine gemahlte / und geträumete Ehe) so mag Er wohl eine andere nehmen. und ist kein gebot Gottes / daß Ihm gebiethe ohne Ehe zu bleiben / oder die unreine zu behalten. *Tom. 5. Jenens. fol. 251. Item Tom. 4. Jenens. Germ. tit. Antwort D. M. L. auff eine Ehesache / ubi inquit: Es geschehe dem Gesellen unrecht / und sey nicht schuldig für Gott / die Jungfrau zu behalten / denn Er findet nicht was Er gesucht hatt. Et ille.*

In quâ quis perit non bibo dixit aquam.

## XXXI.

Quam ipsam etiam sententiam juvat jus divinum. Lex enim *Deut. c. 22.* hoc in casu non solum divortium permittit, sed quod severius est, corruptam capitali supplicio affici jubet. Quâ sententiam graviter etiam tuetur Schneidew *ad Inst. de Nupt. p. 4 n. 61.* Non quidem negandum est, quemadmodum etiam Ecclesiis in nostris receptum esse videmus, ut omnibus viis ac modis partium reconciliatio tentari, nec facile, si ea obtineri possit, matrimonium irritum fieri debeat. Quod si verò reconciliatio obtineri nequeat; actor cogi nequit, ut fœdifragam retineat.

## XXXII.

Error autem fortunæ non vitiat matrimonium. Et id uno ore affirmant Dd. Nisi unico isto in casu, si sub conditione istâ contraxisset: si mihi tot aureos dederis in dotem: quia

conditione appositâ & non verificatâ, non tenetur quis consummare matrimonium *c. de illis 3. extr. de condit. apposit.* Ubi Pontifex Alexander III. dicit: Si quis juratus promiserit, se puellam ducturum sub eâ conditione, si centum dedisset, perjurii eum reum haud esse, si illam ante impletam conditionem ducere recuset. Quo & facere videtur exemplum Davidis, qui conditionem à socero sibi præscriptam, si nempe centum præputia Philistinorum attulisset, adimplevit, quo filiam ejus Michol in uxorem acciperet *Carpz. lib. 2. Jurispr. Consist. tit. 2. Defin. 22.*

XXXIII.

Ut ut tamen hoc verum sit, honesta ingenia sciant, matrimonia non debere ex lucro pendere, cum amor honestus solis animis sit æstimandus juxta Ulpian. *in l. 3. in pr. ff. de donat. int. vir. & uxor.* & cum hæc conditio amorem præ se ferat venalem, videtur esse contra bonos mores. *Beust. in tr. de Matrim. c. 34.* Si quis tamen dolose pollicitatione divitiarum invitatus fuisset, autoritate Dd. non infitias eo, æquum esse, ut ejusmodi dolus & civili & ecclesiastica pænâ castigetur: & ei qui deceptus est, actio in deceptatores detur, propter text. *l. 22. ff. d. V. O.*

XXXIV.

Quid si verò vel ante vel post sponsalia, matrimonio tamen nondum reipsâ consummato, morbus quispiam in altero deprehendatur, minimè quidem talis, ut usum corporis prorsus adimat, sed qui tamen sit insanabiliter contagiosus, ac ita turpis, ut alter meritò ad alterius congressum exhorrescat? Et quidem, ubi probè constiterit de morbo manifestè contagioso & insanabili, cujusmodi est elephantiasis, sponsalia prorsus dirimenda. Hoc enim matrimonium quis tandem ex bonâ conscientia impleverit, quo uti non possit, quin & seipsum & cives cæteros perdat? quin deniqve liberos ad perpetuam miseriam & commune Reipubl. detrimentum gignat. Quod exemplis plurimis probari posset; unicum tamen dixisse  
suf.



sufficiat, quod refert Henning. *in lib. de Conjugio.* Ubi ante  
annos non ita multos civis quidam hoc morbo laborans, uxore  
duxit, atque ex ea duodecim liberos sustulit, in quibus omnibus  
paternus morbus, ut hereditarius, hæsit. Itaque hoc non est  
dirimere, quod Deus conjunxerat, sed potius impedire, quo mi-  
nus, quod non ritè neque ex Dei voluntate conjungi cæperat,  
ulterius progrediat. Ob morbum autem quamvis diutur-  
num, tamen sanabilem, vel superveniens aliud incommodum,  
ut si claudus, surdus, mutus aliquis efficiatur, sponsalia solvi  
posse non videntur. Posita enim causâ efficiente, ponitur  
effectus. Atque in mutis, surdis &c. est causa efficiens matrimo-  
nii, videlicet consensus. *c. 25. X. de sponsal.* E. ipsum matrimo-  
nium ipsis detrahendum non est.

XXXV.

Denique quæritur. An in sponsalibus etiam malitia ætatem  
suppleat, ut ante septimum ætatis annum rectè contrahi possint?  
Et negativa verior est, non tam, quod hic certa ætas præfinita sit,  
ut putat Harpr. *ad Rubr. de Nupt. n. 10.* quam quod infantes, i. e. de-  
cem & septem annis minores, id quod agitur, planè non intel-  
ligant *l. 14 ff. de sponsal. arg. l. 1. §. 2. ff. de admin. & peric. tutor l. 18 pr.*  
*& §. 4. C. de jur. delib. c. 25. X. de sponsal. Fachin. 3. contr. 26. Hieron.*  
*Treutl. vol. 2. disp. 6. lit. d.*

XXXVI.

Ideo si etiam per parentes sponsalia contrahuntur, super  
his, quæ sunt minores septennio, illa sunt inutilia; nec etiam  
confirmantur cursu temporis: i. e. licet septennium attigerint.  
Quia, quæ ab initio non valent, temporis cursu non confirmã-  
tur. *l. pen. ff. d. R. 7.* Nisi post septennium novus consensus inter-  
veniat; tunc demum sponsalia esse incipiant, non quia ante  
contracta, sed quia per novum consensum inita. *l. 14 ff. de spon-*  
*sal. Joh. Sichard. Comm. ad Cod. de sponsal.*

XXXVII.

Cur autem in foeminis citior est pubertas, ac in masculis?  
Regu-

Regulariter ajunt, humidiores & frigidiores esse maribus, id-  
eò citius crescere, pubescere, generare, quæ ratio & decisio esto  
penes medicos. Baldus jocatur, idè citius crescere, quia mulier  
est mala herba.

XXXVIII.

Sed ut inde redeamus, unde paululum digressi sumus.  
Non ignorandum est, quod circa causam efficientem necessum  
habeant contrahentes, ut ab illicitis sponsalibus ratione proxi-  
mitatis, in consanguinitate vel affinitate abstineant.

XXXIX.

Ratione cognationis, sive ea sit naturalis, sive legalis §. 1.  
*Inst. de Nupt.* prohibitio in lineâ rectâ in infinitum sese extendit  
*l. nuptia 53. de rit. Nupt. l. nemini 17. C. de Nupt.* adeò quidem, ut si  
qui ejusmodi quippiam vel per ignorantiam commiserunt,  
execrabiles omnibus fuerint. Hinc Nero ob incestum non  
minus, quam ob reliqua omnia facinora, odium & diras homi-  
num imprecationes incurrit. Theod. Bez. *de Rep. & divort.* Est  
enim inter hasce personas coitus contra omnem pudorem, & in  
tantum abominabilis, ut etiam irrationalia quædam animalia  
cum fugiant & avertentur, attestante Imper. Justin. *in Nov. 12.*  
*6. 1.*

XL.

Deinde in lineâ Collaterali, sive transversâ, inter eos quo-  
que qui sibi invicem sunt loco parentum & liberorum, spon-  
salia prohibentur, veluti inter patrum & neptem, inter amitam  
& neptem ex fratre, inter materteram & nepotem ex so-  
rore & sic deinceps §. 3. §. 5. *Inst. de Nupt.*

XLI.

Itaque ne tum quidem, quum Imperat. Romani quidvis  
sibi licere volebant, in civitate libidinosissimâ ausus est Clau-  
dius patruus Agrippinam fratris filiam ducere, nisi extorto pri-  
us eâ de re Senatusc. quoniam etiam si nullâ scriptâ lege inhi-  
bita esset istiusmodi conjunctio, tamen perpetuò omnium ma-  
jorum consensu incesta haberetur: adeò quidem, ut in tantâ  
perdi-

perditissimorum adulatorum turbâ, vix tandem sit inventus unus & alter, qui & Senatusconsultum & Cæsaris exemplum concederet. Tacit. *lib. 12. Annal.* Adeò sunt altè ab istâ naturâ parente, vel ab ipso Deo potius, leges istæ cordibus humanis insculptæ.

XLII.

Quæstio hîc intricata emergit: An inter fratres & sorores incestus juris naturæ & gentium committatur? Multi sunt, quibus negativa verior videtur. Nam à principio orbis matrimonia contrahebantur inter Adami liberos. Verùm, quod cum pace aliorum fiat, sententia mihi affirmativa magis arridet. Non enim, quod ab initio fecerunt Adamigenæ in exemplum trahi rapiqve debet. Hunn. *Resol. jur. Civ. lib. 1. tract. 3. qv. 32.* Suth. *dissert. 2. apb. 35.* Hinc optimè canit Ovidius.

Et placet, & possem, si non sit frater amare

Et me dignus erat: verùm nocet esse sororem.

XLIII.

In cæteris gradibus, de jure Civili, secundus & tertius prohibitionem habet *d. l. nemini 17. C. de Nupt. l. fin. C. de incest. nupt.* De jure Canonico quartus. *c. non debeo 8. de consang. & affinit.* De jure verò Saxonico tertius lineæ inæqualis: nam qui in quarto vel affinitatis vel consanguinitatis gradu constituti sunt, non prohibentur in nostris curiis conjungi. Wesenb. *in w. d. Rit. nupt.*

XLIV.

Atqve hæc, quæ de cognatione diximus, etiam in affinitate locum habent, in locis modo alleg. hæc tamen regulâ observatâ: quod affinitas tantùm contrahatur inter maritum & consanguineos uxoris, & contra; inter consanguineos autem mariti & uxoris nulla sit affinitas, impediens matrimonium, Schneidew. *ad tit. Inst. de Grad. affinit. n. 9.*

XLV.

Possem hîc exspatiari in genera affinitatis, & graduum computationem, sed diffusior est tractatus ille, quam ut plenè  
C impræ

impresentiarum debeat explicari, Adeundi sunt Treutl. vol.  
2. disp. 6. tit. 3. lit. b. c. & d. Harpr. Schneidevv. alleg. loc.

XLVI.

Attentenda quoque est imparitas honestatis personarum:  
amplissimus enim cum humili abjectâque non debet matrimoni-  
um inire *l. humilem 7. C. de incest. nupt. veluti Magistratus, Præses*  
scilicet cum Provinciali *l. si quis 38. pr. l. qui in provincia 57. ff. de*  
*R. N.* Unde benè Ovidius.

*Quàm malè inæqvales veniunt ad aratra juvenci,  
Tàm premitur magno conjuge nupta minor.  
Non honor est, sed onus species læsura ferentes,  
Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Similiter nec raptor cum raptâ, ob præsumptionem violentiæ  
in auth. de rapt. mul. l. unic. C. de rapt. virg. add. Nov. 143. Carpz. lib  
2. jurispr. Consist. tit. 1. definit. 9.

XLVII.

Anceps hic quæstio est. An diversæ religionis hominis  
matrimonii societatem inire possint? Quod utique est affirmã-  
dum, quia non est de essentiâ matrimonii, ut religio attenda-  
tur. Multum hûc etiam facit, quod spes sit, personam hetero-  
doxæ religionis ad veram & orthodoxam religionem se con-  
versurâ. Quis inde vel ob hanc unicam causâ matrimoniû ejus-  
modi non annueret, & salutem animæ promoveret. Quin &  
Deus ipse tales nuptias permittit, & certos ritus, certasque ce-  
rimonias, his in casibus observandas, præscribit *Deut. 21. v. 11.* Di-  
sting. tamen inter matrimonium contrahendum, & contractû.  
Quod matrimonium contrahendum attinet, rursus disting. in-  
ter paganos & hæreticos. Cum paganis, manifestisque veræ  
religionis hostibus, extra Ecclesiæ pomeria versantibus, totam-  
que religionem orthodoxam abnegantibus, ut sunt Turcæ, Ju-  
dæi &c. matrimonium contrahere Christianus bonâ conscien-  
tiâ

tiā non potest. Quod verò attinet hæreticos in Ecclesiā ver-  
santes, etsi non facile cum iis matrimonium iniri debeat  
(quippè quod similiter multis cum periculis conjunctum est,) tamen si contractum fuerit, dissolvi haud debet. Quia sæpè  
quæ fieri non debent, si tamen facta fuerint, non rescinduntur.  
*l. 1. §. 5. ff. quand. appell. sit. l. 7. §. 4. ff. de interd. & relig. l. 85. §. 1. ff. d. R.*  
7. Et multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ jam  
contractum non dissolvunt. *l. 8. ff. de his qu. sui vel al. jur.* Quamvis  
iterum disting. sit inter hæreticos pertinaces, & inter seductos,  
doceri paratos v. Carpz. *Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 1. def. 6.*

#### XLVIII.

Plus satis de causâ efficiente. Succedit materia, nimirum  
futuræ nuptiæ, de quibus ultro citroque solet conveniri, We-  
senb. *in π. de spons. n. 5.*

#### XLIX.

Sed nuptias copiosius persequi, mei jam non est instituti.  
Propero igitur ad formam sponsaliorum, quæ ex modo con-  
trahendi dilucidè elucescit.

#### L.

Modus est vel pristinus vel hodiernus. Olim sponsalia,  
uti *rb. 7.* dictum, per stipulationem & repromissionem mutu-  
am: hodie per solum consensum, qui nec verba, nec scriptu-  
ram præcisè desiderat, contrahuntur arg. *l. 32. §. 1. ff. de LL. l. 2. §. 1. ff.*  
*d. O. & A.*

#### LI.

Si verba interveniunt, ea vel de præsentis, vel de futuro, vel  
purè vel conditionaliter concipiuntur. Unde sponsaliorum  
alia de præsentis & futuro, alia pura & conditionalia.

#### LII.

Sponsalia de præsentis sunt promissio conjugii præsentis,  
veluti si dicat vir, accipio vel duco te in meam; & fœmina, ac-  
cipio vel duco te in meum. Quâdo verò vir dicat ad fœminam,

C 2

pro-

promitto, spondeo, aut polliceor, quod te ducam in uxorem. & foemina similiter respondeat in hæc verba: hæc sunt sponsalia de futuro.

LIII.

Quæ distinctio ex jure Canonico originem traxit. Suth. *diff. 2. n. 9.* Verùm si jus Civile, omniumqve sponsaliorum naturam exactius perpendamus, ea, quæ vocantur de præsentì, nihil aliud sunt, quàm ipsum matrimonium; licet nondum carnali copulâ consummatum, aut benedictione ecclesiasticâ firmatum sit *l. 1. l. 6. ff. de spons. l. 13. S. 3. ad L. Jul. de adult. c. pen. & ult. extr. de sponsalibus.*

LIV.

Multi autem sunt, quibus cum Dn. Luthero in libello von Chesachen / hæc distinctio displicet, quod apud nos germanos non sit talis loquendi consuetudo in usu. Hinc B. Lutherus in ejusmodi verba prorumpit: Gleich wie sie auch ein lauter Narrenspiel getrieben haben cū verbis de præsentì vel de futuro, damit haben sie auch viel Ehe zu rißen / die nach ihren Recht gegolten haben / und gebunden / die nichts gegolten haben / den diese Wortt: Ich will dich zum Weibe haben / oder ich will dich nehmen / ich will dich haben / und dergleichen / haben sie gemeiniglich verba de futuro genennet / und fürgeben / der Mann solte also sagen: accipio te in uxorem. Ich nehme dich zu meinem Weibe / und haben nicht gesehen / noch gemercket / daß diß nicht im brauch ist / deutsch zu reden / wenn mann de præsentì redet / sondern das heist de præsentì geredet: ich will dich haben / darumb redet kein Mensch deutsch von zukünfftigen Verlöbnißen / wenn Er spricht: ich will dich haben / oder nehmen &c. & postea: Ich wuste selbst nicht wohl / wie ein Knecht oder Magd solten oder köndten in Deutscher Sprache per verba de futuro sich verloben / denn wie man sich verlobet / so lautets per verba de præsentì, und sonderlich

lich weiß der Pöbel von solcher grammaticâ nichts / daß  
accipio & accipiam zweierley sey/er fehret daher nach un-  
ser Sprache art / und spricht : ich will dich haben / du solt  
mein sein / da ist icho die Stunde ja gesagt / ohn weiter auff-  
zug und bedeneken v. d. Luther. in libell. von Ehe sachen.  
Id tamen concedit, apud nos sponsalia de futuro dici  
posse, quæ fiunt cum annexâ conditione. Als so du mir  
wilt eines oder mehr jahr zu gefallen warten / will ich dich  
zur ehenehmen.

LV.

Quamquam verò ex formulâ istâ loquendi, secundum lin-  
gvam vernaculam, distinctio Canonistarum non satis elucide-  
tur, non malè tamen retinetur ea, præsertim, cum non tam ex  
verbis, quam ex intentione & aliis circumstantiis sponsalia de  
præsenti & de futuro dijudicari debeant.

LVI.

Quod si verò accidat, ut verba illa de futuro & præsentibus  
ambigua sint, ita ut tam ad præsens, quam ad futurum tempus  
accommodari possint, æquius est pro matrimonio fieri inter-  
pretationem, & haberi sponsalia pro præsentibus c. tua 26. de  
sponsal. Wesenb. ad w. ff. d. spons. n. 3.

LVII.

Quicquid sit, multum utilitatis divisionem hanc in se con-  
tinere, non difficile erit ostendere. vid. Dn. Carpz. d. l. Jurispr.  
Consist. tit. 10. definit. 174. n. 3.

LVIII.

In primis cum distinctioni illi, causam & occasionem clan-  
destinæ quorundam de futuris nuptiis repromissiones præbue-  
rint, à quibus postea temerè resiliuerunt. Hinc igitur deprava-  
tæ levitati jus Canonicū occurrere, & sponsalia de præsentibus  
esse voluit, ut facilitatem mittendi repudium tolleret, ac sim-  
plici promissioni robur adderet. Bachov. vol. 2. in Trentl. Disp. 6.  
tb. 1. lit. d.

## LIX.

Accedit, quod insignes etiam istius divisionis dentur effectus, quos omnes hoc loco recensere longum foret, unum atque alterum duntaxat addo. Sponsalibus de futuro, licet juratis alteruter contrahentium renunciare. *l. 2. C. de repud. c. 2. § c. 17. extr. de sponsal. Dn. Carpz. l. 2. Jurispr. Consistor. t. 2. definit. 18. n. 1.* sed à sponsalibus de presenti, contrahentes ne mutuo quidem consensu, recedere possunt *c. ex parte 9. extr. d. t. de spons.*

## LX.

Item sponsalia de futuro, per sponsalia secunda de presenti, ipso jure dissolvuntur: at sponsalia de presenti, per alia de presenti postea contracta, dissolvi nequeunt. *c. sicut 22. extr. de spons. tametsi copula carnalis posterioribus accessit. Dn. Carpz. d. l. 2. tit. 4. defin. 65.*

## LXI.

Seqvuntur jam sponsalia pura & conditionalia. Pura dicuntur, quæ sine alterius conditionis adjectione, i. e. absque mora & dilatione contrahuntur *c. 2. extr. de spons. Schneid. part. 1. de spons. n. 32.* Conditionalia dicuntur, quando promissio matrimonii conditione aliquâ restringitur, ac limitatur. Hahn. *ad Wesenb. w. ff. de spons. n. 3.*

## LXII.

Conditiones autem aliæ sunt honestæ, aliæ turpes, aliæ impossibiles. Conditiones honestæ, quæ non existunt necessario, sed à libera voluntate contrahentium pendent, præsertim si ad substantiam conjugii aliquid ex parte pertinent, si non fuerint impletæ, contractum dissolvunt, ut: promitto Tibi conjugium, si utriusque parentes assenserint. *c. super eo. 5. § c. seq. extr. de condit. appos. Schneidew. part. 1. de spons. n. 36.*

## LXIII.

Si turpis conditio contra substantiam matrimonii inseritur, ut ducam Te, si fœtus conceptos abigas, si alii te prostituas, sponsalia carent effectu. *c. ult. extr. de condit. appos.* Si verò aliæ turpis fuerit propter favorem conjugii, pro non adjecta habetur, veluti si furtum commiseris, vel homicidium perpetraveris dict. *c. ult. extr. de condit. appos. Dn. Carpz. Jurispr. Cons. lib. 2. tit. 2. def. 23. Schneidew. part. 1. de spons. n. 35.*

## LXIV.



## LXIV.

Impossibilis conditio, etsi non sit turpis; tamen in favorem matrimonii pro non adjectâ habetur: ut *contraho tecum, si mare pedibus transibis, si in cœlum volabis d.c. ult. extr. de Cond. appof. Schneid. d. part. 1. de spons. n. 35.*

## LXV.

Hinc dubium videtur oriri: An sponsalia conditionata, si pater consenserit, purificentur, & promissio sub conditione in puram resolvatur, si nempe accesserit copula, sive commixtio carnalis? Canonistarum sententia gravissimos invenit assertores, qui statuunt; quod purificata sint sponsalia de futuro per concubitum. Jus enim, veluti certum & exploratum habet, post promissionem de futuris nuptiis accedente concubitu, virum in mulierem, veluti in propriam conjugem consensisse. *Paul. Cypr. de sponsal. cap. 12. §. 15.*

## LXVI.

Rem ipsam ut expediam, circa sponsalia testes non sunt negligendi, qui ubiqve ferè locorum adhibentur. *Dn. Carpz. l. 2. Jurispr. Consist. defn. 35. n. 5.* Unde rectè ille apud Plautum. Malus clandestinus est amor, damnum est merum, & hominibus malè de nobis sentiendi & loqvendi occasionem præbet.

## LXVII.

Id quod summam habet rationem: præsentia enim testium sponsalia publica à clandestinis, quæ nullis adhibitis testibus celebrantur, distingvit.

## LXVIII.

Duplici autem modo sponsalia dicuntur contrahi clandestina. Primò propriè & strictè, quando prorsus clam & nemine præsentè sunt inita. Deinde etiam largè, quando quidem in præsentia testium sunt contracta, attamen sine consensu parentum. Et ejusmodi sponsalia nullius prorsus esse momenti, exinde patet; quia hoc Dei mandato, æqvitati & pietati, quæ parentibus debetur, repugnat. Cum quibus convenit B. Lutherus, quando scribit: *Heimliche verlöbniß heiß ich/ daß da geschicht hinter wissen und willen derjenigen/ so die Oberhand haben/ und die Ehe zu stifften recht und macht haben; als Vater und Mutter/ und was an Ihres*

Ihrer Stadt sein mag/denn ob gleich tausent Zeügen bey einem heimlichen Verlöbniß weren / so es doch hinter wissen und willen der Eltern geschehe/sollen sie alle tausend nur für einen Mund gerechnet sein / als die ohne zu thun ordentlicher und öffentlicher macht / solches im finstern helfen anfangen / und nicht im Lichte handeln. in libell. de caus. matrimonial. Carpz. lib. 2. Jur. Const. tit. 3. def. 38.

LXIX.

Superest, ut finis sponsaliorum subjungatur, qui est conjugii promissi consummatio. Wefenb. in  $\pi$ . de spons. n. 7.

LXX.

Cujus probationis plerumq; arrhæ inserviunt, quæ sunt symbola seu tesserae matrimonii promissi. His datis, is, per quem stetit, quo minus sponsalia suum effectum consequantur, vel eas amittit, vel duplum reddit l. 3. l. 5. C. de spons. l. si legibus 16. C. de Episcop. audient.

LXXI.

Dantur arrhæ non tantum à sponso, sed etiam à sponsâ. Arrhæ autem cujus sint materiae, non multum interest, plerumq; tamen annulos, aut catenas, nummosvè cum aureos, tum argenteos, arrharum loco dari, usitatum est. Eaq; consuetudo jam inde à primis patribus ortum habet, Nam & minister Abrahæ in sponsalibus Isaac  $\gamma\alpha\mu\acute{\eta}\lambda\iota\alpha$  aurea & argentea arrharum loco distribui jussit. Gen. 24. Wefenb. ad ff. de spons. n. 5.

T A N T U M.



ULB Halle  
005 122 49X

3



V. 17







B.I.G.

Farbkarte #13

1662 26 27  
42  
9  
CENSALIBUS,

De  
JEHOVA  
uno clementer annuente  
Ictorum  
te adficiente in Illustri Wittebergâ  
PRÆSIDE

no, Amplissimo, Consultissimo  
atq; Excellentissimo  
TIANO KLENGELIO  
Professore Publ. Celeberrimo,  
Consistorii Ecclesiastici Scabinatus,  
cultatis Juridicæ Assessore  
Gravissimo  
o, ac Promotore suo omni ob-  
antia cultu prosequendo  
lica Eruditorum ventilationi  
officiosè submittit  
AUTOR

FRIDERICUS Zugmann/  
Belzigensis Saxo.  
Ad diem 3. Mensis Maji.  
Anno clæ 1712.

WITTEBERGÆ,  
topographica JOHANNIS HAKEN.